


# EPISTULA LEONINA

## CCVIII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCVII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM OCTAVAM (208) !**

**ARGUMENTA**

FRUCTUS LEGENDI.....	03
ALLOCUTIO IN ANNUM MMXX HABITA ( <i>Mross</i> ).....	04-09
SIMONIS TATA ( <i>Maupassant/Knijff</i> ).....	10-17
MYTHI GRAECORUM: Theseus - De herois ortu atque iuventute (Schwab/ LL)...	18-21

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS  
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**


***Cara Lectrix, Care Lector,***

*Epistulam Leoninam tibi offero ducentesimam octavam (208). Utinam tibi sit occasiuncula has pagellas Latine scriptas perlustrandi. Sive argumenta tibi placent sive displicent, scribas nobis quidquid tibi in buccam venerit. Gratias tibi ago in antecessum. Sed nunc cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruerere!*

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicâ, 19. m.Ian. a.2020**



## **HUNC ESSE FRUCTUM LEGENDI: AEMULARI EA QUAE IN ALIIS PROBES**

**MACROBIUS, Saturnalia VI 1, 1-2** Hic Praetextatus: Mirum, inquit, in modum digessit Eustathius quae de Graeca antiquitate carmini suo Virgilius inseruit. Sed meminimus viros inter omnes nostra aetate longe doctissimos, Furium Caecinamque Albinos, promississe se prodituros quid idem Maro de antiquis Romanis scriptoribus traxerit: quod nunc ut fiat tempus ammonet. 2 Cumque omnibus idem placeret, tum **Furius Albinus**: Etsi vereor me, dum ostendere cupio quantum Virgilius noster ex antiquiorum lectione profecerit et quos ex omnibus flores vel quae in carminis sui decorem ex diversis ornamenta libaverit, occasionem reprehendendi vel inperitis vel malignis ministrem, exprobrantibus tanto viro alieni usurpationem, nec considerantibus **hunc esse fructum legendi, aemulari ea quae in aliis probes et quae maxime inter aliorum dicta mireris in aliquem usum tuum oportuna derivatione convertere**, quod et nostri tam inter se quam a Graecis et Graecorum excellentes inter se saepe fecerunt.

# ALLOCUTIO IN ANNUM MMXX A MICHAELE MROSS HABITA

d.30.m.Dec. a.2019 allocutio in annum ineuntem habita: Michael Mross

<https://www.youtube.com/watch?v=yAceuSUW0wU>



*Quid reverâ fit in hac terrâ? Michael Mross aliter ac cancellaria foederalis allocutionem suam in annum novum habet ex tempore. Imminentne decarbonificatio atque deminutio industriae quaestuosae? An id efficiemus, ut revertamur ad rationem?*

**Annus 2020 erit annus fatalis.** Eodem enim decertabitur, utrum nobis contingat, ut redeamus ad semitam libertatis atque oeconomiae mercatûs liberae – sine quibus non fit opulentia – an terra nostra utopiis oeconomiae praedispositae<sup>1</sup> nixa ad statum delabatur egenissimum, quo nunc est Venetiola. Paulo ante aliqui locutor *Auxilii Circumiectorum Germanici* dixit: ***„Industria Germaniae autocinetica velocitate ducentorum chiliometrorum horalium proripitur, ut collidat cum muro calcestrali.”***<sup>2</sup> De his verbis quid dicam nisi hoc: *„Ad talem*

<sup>1</sup> **oeconomia** \***praedisposita** orig. *Planwirtschaft*, angl. *planned/controlled/ command economy*; fr. *économie planifiée*; hisp. *economia planificada*; ital. *Economia planificata*.

<sup>2</sup> <https://www.wallstreet-online.de/nachricht/12018050-deutsche-umwelthilfe-autoindustrie-faehrt-200-betonmauer>:

....**DUH-Bundesgeschäftsführer Jürgen Resch**...warnte: **„Die deutsche Autoindustrie fährt mit Tempo 200 gegen eine Betonmauer, wenn sie weiter Klimakiller und Stadtpanzer baut.”** Resch bekräftigte die Forderung der DUH, sich noch früher als von den Grünen gefordert vom Verbrennungsmotor zu verabschieden. Resch sagte, "dass 2025 reine Verbrennungsfahrzeuge nicht mehr neu zugelassen werden sollen". Allenfalls "für eine kurze Übergangsphase" könne er sich "als Alternative zum reinen Elektroantrieb noch hocheffiziente Verbrenner-Hybrid-Antriebe vorstellen".

*murum tantâ velocitate non solum proripitur industria autocinetica, sed tota terra*'. Timendum est, ne, si politici perrexerint ita agere ut agunt, industria quaestuosa apud nos destruat. Timendum est, ne istud fiat propter *Auxilium Circumiectorum Germanicum*<sup>1</sup>, propter phantasmata sinistro-prasina<sup>2</sup>, propter decarbonificationem<sup>3</sup>. Nam **decarbonificatio** – id est deminutio carbonei dioxydati – nihil est nisi deminutio industriae quaestuosae ideoque destructio fundamentorum opulentiae, quâ usque nunc fuimus.

At hoc videtur a nonnullis hominibus nullo modo curari – praesertim a cancellariâ nostrâ foederali. Nam **Angela Merkel** inter regimen suum, quod tenet ex 14 iam annis, detrimenta effecit immensa.

Unum ex his detrimentis est illa „**Lex Energiarum Renovabilium**“<sup>4</sup> – monstrum verbi se ipso mendacium, nam ratione physicâ non extant energiae verê renovabiles. Tamen hîc quotannis multae miliardae euronum ex inferioribus societatis partibus ad superiores distribuuntur pro aliquibus ventimolinis et electrificinis solaribus<sup>5</sup>, quae denique deficiunt, quia neque flat ventus neque sol splendet. Ante nonnullos dies inspexi rationem meam fluenti electrici nummariam: Plus quam dimidia pars pretii nequaquam spectat ad fluentum electricum, sed nihil est nisi additamentum Legis Energiarum Renovabilium, est vectigal fluenti electrici, est vectigal auctarium – o vesania et insanitas! In dies plures hominum pauperiores sunt, quam ut solvant pretium fluenti electrici. Anno proximo praeterito aliquot centum milibus hominum fluentum electricum est occlusum. Ita vero, istac lêge energiâ renovabilium nequaquam affliguntur homines divites, sed pauperrimi! At de hac re non solet dici.

**Tractemus aliud thema:** Mense Iunio anni proximi praeteriti in Rhenaniâ-Vestfaliâ officinae alumini occlusae sunt, ut desinerent merces suas producere. Notum est officinas alumini egere magnis copiis fluenti electrici. Quae officinae occlusae sunt, quia defuit fluentum electricum neque multum afuit, quin rete electricum

<sup>1</sup> **Auxilium Circumiectorum Germanicum** orig. *Deutsche Umwelthilfe*.

<sup>2</sup> **propter phantasmata** \***sinistro-prasina** orig. *wegen linksgrüner Phantasmen*.

<sup>3</sup> \***decarbōnificātiō**, -ōnis f. orig. *Dekarbonisierung*.

<sup>4</sup> **Lēx Energiarum Renovabilium** orig. *Erneuerbare-Energien-Gesetz (EEG)*.

<sup>5</sup> \***electrificina sōlāris** orig. *Solarpanels*

collaberetur. Haec ratio agendi dicitur „*deiectio oneris*“. Hoc oportet mente confingatis: In natione industriali, qualis est Germania, interim condiciones valent tales, quales solent valere in mundo tertio. Interim necessarium est totos ramos industriales occludere, ut parcatur fluento electrico neve tota Germania incidat in magnum fluenti electrici defectum generalem<sup>1</sup>.

Num oportet sic pergere? Certê non. Lucremur – molestemus – urgeamus! Haec videtur esse ratio agendi in conventu legatorum foederali. Gubernatio enim non desinit excogitare novas lêges, quibus vos meque etiam magis possit expilare. Attamen res publica abundat pecuniâ; plura vectigalia accipit quam umquam antea necnon lucrum effecit oeconomicum – at non licet dicere rem publicam aliquid lucri effecisse – effectum enim est lucrum a vectigalium pensoribus durê laborantibus!

Quidnam res publica facit de lucro accepto? Pecuniam deponit. Aestimantur hîc anno acceptae esse 40 miliardae euronum lucri vectigalium.

Accedunt circiter 30 miliardae profugis reservatae<sup>2</sup>, si quae in hac re fiunt angustiae. Pecunia iners residens devoratur usuris negativis<sup>3</sup>. Proficiscamur a 40 miliardis. Inde oriuntur zero-virgula-quinque partes centesimae (0,5%) usurarum negativarum, id est quotannis 200 miliones euronum. 200 miliones euronum usurarum negativarum – o quaenam fieri possent tantâ pecuniâ adhibitâ? – quot scholae possent renovari? quot viae stratae possent reparari? – haec omnia animo fingere non audeo.

**Aliud thema: media diurnaria<sup>4</sup>.** Media atque acta diurna oportet tandem iterum talia fieri, qualia fuerunt. Recordor adhuc anno 2008 in primo programme televisorio emissum esse cinema<sup>5</sup> documentarium, c.t. fuit „De magnâ fraude climaticâ“<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> *māgnus fluentī ēlectricī dēfectus generālis* i.q. anglicê dicitur *blackout*.

<sup>2</sup> *30 miliardae profugis reservatae* orig. *Flüchtlingsrücklage*.

<sup>3</sup> *ūsūrae negātivae* orig. *Minuszinsen*.

<sup>4</sup> *media diurnaria* orig. *die Medien*.

<sup>5</sup> *\*cinēma*, -atis n. orig. *Film*. - *\*cinēma +documentarium* *Dokumentarfilm*.

<sup>6</sup> „*Dē magnā fraude climaticā*“, orig. «*Der große Klimaschwindel*» (a.2008).

- [https://www.youtube.com/watch?v=ul8\\_kYEpk9](https://www.youtube.com/watch?v=ul8_kYEpk9) cfr cinema Britannicum, quod publicatum est iam a.2007: <https://www.youtube.com/watch?v=oYhCOv5tNsQ> “The Great Global Warming Swindle”.



Quo in cinemate interrogati sunt scientistae bonae famaе, qui sciverunt demonstrare calefactionem globalem non effici carboneo dioxydato, sed carboneum dioxydatum effici calefactione globali – quod dictum funditus discrepat a sententiâ hodie in mediis iterum iterumque enuntiâtâ, quasi sit cognitio certissima nulloque modo addubitabilis. Potestisne animo confingere tale cinema hodie iterum monstrari?

At hęc tempore mediorum praeceptores ferê nihil videntur efficere nisi nuntios omittere et falsare, homines dissentientes diffamare. Hominum medialium malefactum omnium pessimum et tristissimum nuper accepimus, cum WDR **statio televisifica diffamavit avias vetulas, quas contendit esse peccatrices climaticas**<sup>1</sup>. Quidnam fieri potest degeneratius? Ceterum scilicet generationem hominum vetustiorum procul dubio minorem copiam emittere carbonii dioxydati quam quamlibet catulastram male mōratam climati servando addictam<sup>2</sup>, quae sophophonum<sup>3</sup> adhibens per mundum volat pyrauloplano<sup>4</sup>. At eheu talia sunt media nostra. Quidnam nobis restat nisi speramus aliquando mediorum publicatores resipiscentes permissuros esse, ut sententiae inter se differentes referantur tales, quales sunt, sine ullâ voce reprobandi aut comprobandi, ut lector aut spectator aut auditor ipse ratione suâ propriâ usus iudicet de re sibi relatâ, ne inscius propriam sibi faciat sententiam sibi praeparatam atque inculcatam. Hoc scilicet specialiter pertineat ad *ARD* et *ZDF* et *Speculum Hammaburgense* et ad multa alia media diurnaria.

**Aliud thema tractaturus sum:** Anno proximo praeterito doluimus plus unum milionem Germanorum e Germaniâ emigravisse. Fingite istud animis: Plus unum milionem Germanorum e Germaniâ emigravisse, homines optimê et specialiter eruditos. Fuerunt homines in universitatibus studiorum eruditi, qualibus egemus urgentissimê.

Qui fortunam temptant alibi, quia sibi videntur iniustê tractati esse et expilati. Verisimile est hos homines in sempiternum a Germaniâ

<sup>1</sup> <https://www.youtube.com/watch?v=wsWOOYlwjwI> "Oma" ist 'ne Umweltsau - WDR Kinderchor

<https://www.youtube.com/watch?v=WvgFnrGjG10> Tom Buhrow (WDR) zum Oma-Video

<https://www.youtube.com/watch?v=-GRhX55I25M> MEDIENKRITIK - Das Publikum geht auf die Barrikaden

<sup>2</sup> **catulastra male mōrāta climatī servandō addicta** orig. *eine Fridays-For-Future-Göre*

<sup>3</sup> \***sophophonum**, -ī n. orig. *Smartphone*.

<sup>4</sup> \***pyrauloplanum**, -ī n. orig. *Jet, Düsenflugzeug*.

afuturos esse. Hos homines velim adhortari his verbis: *‚Rogo vos ut potius hîc maneatis! Una conemur hanc terram restaurare et in meliorem mutare. Nos egemus vestrâ voce, vestro vigore’*. Egemus tali Germaniâ, qualis fuit tempore *Ludovici Erhard*, ubi fundamentum opulentiae, quam hodie destruimus, constructum est. Egemus liberâ oeconomîâ mercatûs sociali neque oeconomîâ praedispositâ neque ullâ mercedis habitaculorum limitatione<sup>1</sup>. Si habitacula reverâ nimis rara sunt – quânam de causâ? Scilicet hoc effectum esse ab hominibus politicis neque a malis speculatoribus. Si duos ferê miliones hominum in terram immigrare permiseris, egebis circiter uno milione habitaculorum. Tam simplex est ratio huius rei computanda. At politici de hac re non cogitaverunt. Pro eo, ut haec causa clarê explicetur, possessores habitaculorum diffamantur et male tractantur et impeditur, ne fiat apta pecuniae collocatio ad necessitates futuras. Quidam Suetus architectus aliquando dixit: *‚Urbs destrui potest duabus rationibus. Una est bombarum deiectio, altera est mercedis habitaculorum limitatio.’*

Si in hac terrâ tales valent res politicae, quinam negotiator velit in quacumque re collocare pecuniam? Si tales sunt res politicae, quisnam efficiet locos operandi? In terrâ, in quâ omni civi timendum est, ne mox denuo incepta ad verum adducantur quaecumque sinistro-prasina atque populistica, quibus omnis spiritus agendi proprius vix ortus suffocetur. Nolite oblivisci nos iam anno 2019 habuisse plus centum milia operariorum laboris deminuti<sup>2</sup>. Hoc in mediis diurnariis vix tractatum est. Plures pluresque complexûs mercatorii<sup>3</sup> atque negotiationes magnae annuntiant sibi mox dimittendos fore massas operariorum. Et si agitur de novis fabricis condendis, tales fabricae non conduntur in Germaniâ, sed in terrâ peregrinâ. Ut exemplum afferam: Negotiatio, quae appellatur BASF, dixit haec: *‚Nos condemus novam fabricam, non in Germaniâ, sed in Chinâ.’* Quare in Chinâ? Verisimile est ibi fluentum electricum esse minoris pretii et normas et regulas non esse tam difficiles et intricatas quam in Germaniâ. De his omnibus oportet deliberemus. Si sic ut usque nunc agere perrexerimus, verimile est oecopopulistas sinistro-prasinos mox solos

<sup>1</sup> **lîmitatiō mercēdis habitāculōrum** orig. *Mietendeckel*.

<sup>2</sup> **labor dēminūtus** orig. *Kurzarbeit*.

<sup>3</sup> **complexus mercātōrius** orig. *Konzern*.



sessuros esse in conventu foederali; tum videant, unde accipiant pecuniam.

Itaque *Markus Krall* oeconomus postulat, ut fiat revolutio civilis<sup>1</sup>. Ita est, rectê audivistis: revolutionem civilem. Necesse est ut talis revolutio fiat, ut tandem audiatur vestra vox et mea in conventu foederali. Ut tandem ii iterum vocem habeant, qui praestant aliquid et aleam subeunt neque sôli illi, qui nihil velint nisi postulare et pecuniam novo modo distribuere. Cives sunt plerique homines huius terrae, sed de iisdem in mediis quae sunt *ARD*, *ZDF*, *Speculum Hammaburgense*, nimis raro auditur et videtur et legitur. At iidem firmas<sup>2</sup> condunt aut habent, iidem sedulê pendunt vectigalia, et efficiunt huius terrae opulentiam. Oportet iidem homines denuo veram causam habeant, quâ dicant: *Haec est terra, in quâ vivamus bene atque libenter.* Ne solum illi in terrâ nostrâ vivant, qui sumant, sed etiam ei, qui dent; ii qui daturi sunt oportet alliciamus neve eos repellamus eorumque spem decipiamus.

Itaque in novum annum eos cives appello: *Novum initium faciamus, simus bono animo. Denuo dirigamus hanc terram eo, ubi iam fuit. Ex hac viâ quamquam deerravimus, ne spem abiciamus. Nam altera via nobis non est, quam si ingressi erimus, omnis Germanus dicere poterit: Haec est terra, in quâ vivamus bene atque libenter.*

His rebus consideratis vobis non solum exopto, ut in novum annum bene transeatis, sed etiam ut in eodem ipso necnon in toto novo decennio fruamini prosperâ valetudine fortunâque felicissimâ. Unâ res adeamus mutandas, pergamus rebus futuris confidere, ut tandem res moveamus in directionem rectissimam! Plurimas vobis gratias ago, quod me aspectavistis!

**Haec verba in annum ineuntem MMXX dixit  
MICHAEL MROSS, in Latinum convertit LEO LATINUS.**

<sup>1</sup> cfr Dr. Markus Krahl: „Der Weg aus der Knechtschaft“.

[https://www.youtube.com/watch?time\\_continue=84&v=ZtUGCJZsMgY&feature=emb\\_logo](https://www.youtube.com/watch?time_continue=84&v=ZtUGCJZsMgY&feature=emb_logo)

<sup>2</sup> \**firma*, -ae f. orig. *Firma*. cfr C.W. Schweitzer: De firma mercatorum. Leipzig 1803.

## SIMONIS TATA

*Narratiuncula a Guidone de Maupassant Francogallicè narrata, primum data in lucem Kal. Dec. 1879; CXL anno post in Latinum convertit Johannes Knijff.*

Tandem sono indicata est hora meridiana. Ianuâ ludi apertâ pueri praecipitaverunt sese alii alios opprimentes quo ocius exirent. Nec tamen cito se disperserunt domum reditum atque cenatum, ut cottidie facere solebant, sed haud procul constiterunt gregatimque mussitare coeperunt.

Nam illo mâne Simon, Blanciottae filius, primâ vice in ludum venerat.

Omnes de Blanciottâ audiverant in suâ quisque familiâ; et quamquam palam benignè illam tractabant, matres clam miserebantur eius non sine aliquâ contemptione, quâ inducti etiam pueri causae inscii erga illam puellam sic se gerebant.

Quod attinebat ad Simonem, eum non noverant, nam neque umquam exiit neque cucurrit cum iis per vias vîci aut in ripis fluminis. Itaque haud gratus erat illis, qui quodam cum gaudio necnon magno cum stupore illam famam acceperant iteraverantque alter ad alterum quam urbanè attulerat catlaster quidam quattuordecim annorum quindecimve qui omnia scire videbatur, oculis coniventibus:

»Scitin'... Simonem... quid dicam, tatam non habet.«

Tum etiam filius Blanciottae apparuit in ludi limine.

Qui puer erat septem annorum octove, pallidulus, lautissimus, timidulus, paene scaevus.

Eundem domum ad matrem redeuntem greges sodalium – adhuc mussitantes eumque spectantes oculis malevolis crudelibusque puerorum nescioquid mali in animo habentium – paulatim circumdabant ita, ut tandem includeretur. Constitit ille in medio, mirabundus confususque, non intellegens facturi quid illi essent. Catlaster autem qui attulerat famam, successu superbus eum interrogavit:

»Heus tu, quod tibi nomen?«

Respondit: »Simon.«

»Quid, Simon?« alter.

Prorsus confusus rursus puer: »Simon.«

Ad quem catlaster »Vocari oportet,« clamavit, »Simonem nescioquid. Id nomen non est, Simon.«

Is autem, lacrimaturus, tertium respondit:

»Simon vocor.«

Ridebant pueri. Catlaster triumphans voce maiore »Planê,« inquit, »videtis eum tatâ carere.«

Silentium magnum factum. Obstupuerunt pueri hac re inusitatissimâ, monstruosâ, quae fieri nullo modô posset: expers tatae puer! Existimabatur phaenomenon, ens extranaturale, sentiebantque augeri intra se istam matrum contemptionem hucusque inexplanatam Blanciottae.

Quod attinebat ad Simonem, is arbore nitebatur ne laberetur; manebat quasi prostratus clade irreparabili. Conatus est explanare sese. At nullum responsum inventum quo negaretur factum istud horrendum quod tatâ egeret. Tandem, facie perquam pallidâ, temere exclamavit: »Immo habeo!«

»Ubi est?« catlaster.

Simon tacuit; nescivit enim. Ridebant valdê commoti, puerique rurestres – bestiis similiores – crudelem sentiebant necessitatem quae ducit cuiuspiam areae gallinas ad conficiendam confestim earum illam, quae iam est saucia. Subito Simon animadvertit vicinulum, viduae filium, quem semper viderat matre tantum comitante, semetipsi haud dissimilem.

»At etiam tu,« inquit, »tatâ cares.«

»Immo habeo,« alter.

»Ubi est?« Simon interrogavit.

»Mortuus est,« superbius puer. »Meus in coemeterio tata!«

Murmur comprobationis pervasit improbos, tanquam habere tatam mortuum in coemeterio elevasset sodalem evicissetque alterum qui omnino careret ullo. Puerique nequam, quorum patres plerique mali, ebrii, fures, uxoribusque duri, praecipitabant sese, comprimentes alii alios, quasi illi – legitimi – oppressione suffocare vellent illum illegitimum.

Subito unus ex iis contra Simonem stans linguam odiosê extendit exclamavitque:

»Nullum tatam! Tatam nullum!«

Simon utrâque manu capillis eumprehendit cruraque ferire coepit pedibus, genam crudeliter mordens. Fit ingens confusio. Pugnatoribus duobus separatis Simon pulsatus, vulneratus, attritus, humum volutus

iacebat, circumstantibus consceleratulis plaudentibus. Surgenti tergentique camisiâ pulverem unus ex iis:

»Abi,« clamavit, »tatae nuntiatum tuo!«

Tunc vero Simon sensit cor suum confringi. Erant eo fortiores, pulsaverant eum neque habebat quod illis responderet, bene sentiens verum esse quod tatâ carebat. Superbius conatus est nonnulla puncta temporis pugnare cum lacrimis eum strangulantibus. Suffocatus sine ullo clamore plorare coepit singultibus maximis praecipitem agitantibus eum.

Tunc apud inimicos maximum gaudium coortum, nimirumque, velut barbari atrociter laetantes, iunctis manibus circum saltabant eum iterum iterumque tamquam carmen repetentes istud »Nullum tatam! Tatam nullum!«

Simon subito furore captus plorare desiit. Sub pedibus calculi; quos comprehensos omni vi coniecit in vexatores. Duo tresve percussi effugerunt clamantes; Simon autem aspectu erat tam formiduloso, ut confusio maxima inter eos exoreretur. Ignavi – qualis esse solet multitudo coram viro desperato – eum relictum fugerunt.

Solus relictus puerulus patre carens cucurrit in campos, nam ei in mentem venerat res qua animus maximê levaretur. Placuit amne submergi.

Reverâ recordatus est septimanâ ante virum pauperem mendicum se in aquam abiecisse, quia nihil pecuniae sibi restaret. Simon adfuerat cum corpus ex aquâ extraheretur. Atque eiusdem hominis, qui sibi alioquin tristis, lamentabilis, sordidus, foedus visus erat, vultu tranquillo, genis pallidis, barbâ longâ umidâ, oculis apertis placidisque Simon nunc subito plurimum commotus erat. Dixerant circumstantes: »Mortuus est.« Addiderat aliquis: »Nunc valdê est felix.« Simon quod patre carebat etiam aquis submergi voluit, sicut ille vir miser pecuniâ carens.

Paene ad ipsum amnem pervênit aquamque aspexit fluentem. Nonnulli pisces volitabant rapidi in flumine claro. Interdum saltûs dabant muscasque ceperunt in summâ volitantes aquâ. Plorare desiit eos visum, nam volatus eorum animum maximê excitabat. Interdum autem, velut tempestate residente subito magni fiunt venti ictûs qui crepitare faciunt arbores et in horizonte evanescunt, cogitatio revênit illi non sine dolore acerbo: »Flumine mergar quod tatâ careo.«

Calores erant, caelum sudum. Sol mitis calefaciebat herbam. Aqua tamquam speculum nitebat. Simon per nonnullas minutas beatitudine perfructus est, languore lacrimas insequenti, ex quo cupido eum cepit obdormiendi illuc in herbâ, mediis caloribus.

Ranula viridis saluit sub pedibus eius. Conatus est comprehendere eam; effugit illa. Persecutus est illam, ter non est assecutus. Tandem imis cruribus posterioribus illam comprehendit ridebatque videns conatus bestiae fugiendi. Quae sese contraxit magnis in cruribus, deinde relaxatione subita extendit ea, rigida velut bacula duo, dum – aperto oculo rotundo, cui inerat circulus aureus – aëra pulsat cruribus anterioribus, velut manibus agitantibus. Tum in mentem puero venit lignea quaedam forfex lusoria, cuius brachiorum motu milites parvuli illis affixi movebantur quasi facerent exercitium. Cogitabat de domo, de matre sua; tristitia magna captus rursus plorare coepit. Tremor membra pervasit; genu flexus preces recitavit velut obdormiens. At finire nequivit quod lacrimae revererunt tam urgentes tamque tumultuosi ut totum pervaderent eum. Iam nihil cogitavit, nihil vidit circum, nihil aliud iam fecit nisi ploravit.

Subito manum gravem sensit in umero auditaque est vox magna eum interrogans: »Cur tandem tam tristis, homuncule mi?«

Simon se vertit. Operarius procerus, barbatus, capillis nigris prorsus cirratis benevolens eum aspiciebat. Ille respondit oculis faucibus lacrimarum plenis: »Verberaverunt me... quod... mi....mihi... non est... tata... nullus tata...«

»Ain' tu?!« ridens vir. »Nemo est qui tata careat.«

Puer ob tristitiam singultans aegre loqui perrexit: »Ego... egomet... equidem non habeo.«

Operarius ergo severus est factus; recognoverat Blanciottae filium et, advena cum esset, praecipua ferre rerum ei erant nota.

»Agedum,« inquit, »consolare, mi puer, et veni mecum ad matrem tuam. Dabitur quidem tibi...tata.«

Carpserunt viam. Vir manum tenebat parvuli; iterum subridebat, quod nihil displicuit visere Blanciottam illam, quae quidem habebatur inter totius provinciae pulcherrimas; fortasse in imo corde secum dixit fieri posse ut puella quae semel erraverit erret et iterum.

Advenerunt ad domunculam albam lautissimam.

Puer »En adsumus,« inquit »Mamma!«que clamavit.

Apparuit mulier; operarius subito ridere desiit, nam statim intellexit iocandum non esse cum illâ puellâ procerâ pallidâ quae manebat severa in limine, ut quae defenderet a viro limen domûs ubi iam prodita erat ab alio. Pilleum manu tenens timidus ille:

»En, domina,« balbutivit. »Apporto tibi parvulum tuum, qui vagatus est iuxta flumen.«

At Simon matrem amplexus rursus lacrimare coepit dicens:

»Non, mamma, mergi volui, quod alii me verberaverunt... verberaverunt me... quod mihi non est tata.«

Rubore flagranti rubebant genae iuvencae atque imo corde vulnerata filium vehementer osculata est lacrimis per genas labentibus. Stabat vir permotus, nesciens quomodo abiret. Simon autem subito ad eum accurrit eique dixit:

»Vin' tu esse tata meus?«

Silentium magnum factum. Blanciotta, tacita pudoreque vexata, parieti innitebatur, utrâque manu super cor positâ. Puer cum videret neminem sibi respondere rursus:

»Nisi volueris, redibo memet mersum.«

Operarius, rem tanquam iocum existimans, ridens:

»Quidni,« respondit, »non nego.«

»Quod est tibi nomen,« puer igitur interrogavit, »ut respondeam aliis quandocumque velint scire quo nomine voceris?«

»Philippus,« respondit homo.

Simon punctum temporis silebat ut nomen illud bene mandaret memoriae, tum prorsus consolatus tendit bracchia dicens:

»Bene quidem! Philippe, tu tata es meus!«

Operarius autem, puero humo sublato osculisque utrique genae fixis, quam ocissimê aufûgit passibus rapidis.

Puerum postridie ludum intransentem risus recepit malignus; scholâ finitâ catastroque ad iterandum intento, Simon eccâ verba veluti saxum iniecit in caput eius: »Philippus tata vocatur meus.«

Clamor gaudii undique sublatus.

»Quem Philippum? Philippum qualem? Quidnam rerum de Philippo? Ubi locorum inventus Philippus iste?«

Simon nihil respondit et ut cuius fides everti non potest oculis eos provocavit, ad martyrium potius paratus quam ad illos fugiendos. A magistro ludi liberatus Simon ad matrem rediit suam.



Per tres menses Philippus, operarius procerus, saepius praeteribat Blanciottae domum interdumque audebat alloqui eam quandocumque videbat iuxta fenestram suentem. Respondebat illa urbanê, severa semper, neque unquam iocata est cum eo neque unquam sivit domum intrare suam. Tamen, paulo superbior sicut plerique viri, ille mente finxit eam nonnihil rubere quandocumque collocuta est secum.

Sed bona fama semel amissa tam aegrê recuperatur tamque fragilis semper manet ut, modestiâ timidiorè Blanciottae nihil obstante, iam de illis loquerentur accolae.

Quod ad Simonem attinet, magnopere amabat tatam suum novum cumque illo ambulabat quôque paene vespere, die peracto. Assiduê ibat in ludum dignissimus progrediens mediis in sodalibus, ne verbo quidem umquam iis respondens.

Quodam tamen die catlaster qui primus eum agressus erat iterum allocutus est:

»Mentitus es, nullus tibi tata Philippo nomine.«

»Quorsum hoc?« valdê commotus Simon.

Malevolens catlaster:

»Quem si,« inquit, »haberes, matris tuae esset maritus.«

Simon veritate rationis confusus nihilominus »Attamen,« respondit,

»tata est meus.«

»Fieri potest,« catlaster irridens. »Sed non prorsus est tata tuus.«

Blanciottae parvulus capite demisso multa mente volvens se contulit ad officinam ferrariam patris Loezonis, ubi munere fungebatur Philippus.

Officina erat tanquam sepulta sub arboribus. Obscurus erat locus; lumen rubrum foci ingentis illuminabat fabros quinque nudis bracchiis ingenti fragore incudes pulsantes. Stabant velut diaboli flammam inter, oculis intentis in ferrum ardens quod vexabant; graves eorum cogitationes unâ cum malleis sursum deorsum agebantur.

Simon clam intravit miteque manicâprehendit amicum. Ille se vertit. Opere subito interrupto omnes attentis ora tenebant. Tum, medio silentio insolito, audita est Simonis vox tenuis:

»Dic, quaeso, Philippe, Michaldae filius modo mihi narravit te non prorsus patrem esse meum.»

»Quorsum hoc?« operarius. Puer modô suo prorsus puerili:

»Quod non,« respondit, »matri meae es maritus.«

Nemo risit. Consistit Philippus, innixus frontem dorso ingentium manuum, quas sustinebat ansa mallei incudi insidentis. Somniabat. Consodales quattuor eum spectabant atque – minimus inter gigantes – Simon anxî expectabat. Subito unus ex ferrariis, omnium respondens cogitationi, dixit Philippo:

»Est tamen puella bona et cordata Blanciotta illa, necnon fortis diligensque, quanquam fortunam nacta adversam. Quae viro honesto digna esset uxor.«

»Id verumst,« ceteri tres.

Perrexit operarius:

»Num culpanda est illa puella quod semel erravit? Matrimonium ei promissum; atque nonnullaeque mihi sunt nôtae inter honestissimas hisce diebus habitae quae prorsus idem fecerunt.«

»Id verumst,« ad unum omnes viri tres.

»Quam laboraverit misella,« rursus ille, »ut puerum educaret prorsus sôla, quam lacrimaverit ex eo tempore quo nunquam domo exiverit nisi ut iret in ecclesiam, nemo scit nisi Deus ipse.«

»Id et verumst,« alii.

Iam nihil auditum praeter follem ignem in fornace incitantem. Philippus subito ad Simonem se demisit:

»I matri tuae nuntiatum me vesperi iturum, ut cum eâ colloquar.«

Tum puerum umeris impellit foras.

Ad opus rediit et ad unum omnes mallei rursus incudibus inciderunt. Sic ferrum pulsabant illi usque ad vesperum, fortes, ingentes, laeti velut mallei contenti. At sicut magna ecclesiae cathedralis campana resonat diebus festis super tinnitum aliarum, ita Philippi malleus, dominans fragori aliorum, quoque puncto temporis exsurdanti resonuit strepitu. Atque ille, oculis ardentibus, inflammato excudebat animo, scintillas circumvolantes inter.

Caelum erat stellarum plenum ut Blanciottae pulsavit ostium dominicali veste indutus, camisiâ lautâ, tonsâ barbâ. Puella in limine apparuit dixitque tamquam vexata: »Non oportuit sub noctem huc venire, domine Philippe.«

Responsurus stabat coram illâ confusê balbutiens.

Rursus illa: »Sanê planê intellegis non oportere homines iterum de me locuturos.«

Tum subito ille:

»Quid rêfert istud,« inquit, »si vis mihi nubere!«

Nulla vox respondit ei, sed visus est audire in umbrâ conclavis sonum corporis concidentis. Philippus intravit quam ocissimê; atque Simon in lecto cubans sonum recepit osculi quorundamque verborum quae susurravit parvulâ voce mater. Tum subito sensit se levâri manibus amici sui, qui quidem, tenens in extremis bracchiis Herculeis, eum inclamavit:

»Fac dicas sodalibus tuis tatam tuum esse Philippum Remigium ferrarium. Qui quidem alapam ducet cuique eorum qui quidpiam mali tibi fecerit.«

Postridie, ludo puerorum pleno scholisque coepturis, surrexit parvulus Simon planê pallidus, labris trementibus clarâque voce: »Tata meus,« inquit, »est Philippus ferrarius. Qui quidem promisit se alapam ducturum omni eorum qui aliquid mali mihi sint facturi.«

Tunc quidem nemo iam risit, facile enim cognoverunt Philippum illum Remigium ferrarium; qui quidem tata fuit qui omnes in toto orbe terrarum homines fecisset superbos.

## **GUIDONIS DE MAUPASSANT**

### **FRANCOGALLI POETAE INGENIOSI**



### **FABULAM QUAE INSCRIBITUR**

**»Le Papa de Simon« (a.1879)**

<http://www.maupassantiana.fr/Oeuvre/CNLePapadeSimon.html>

### **IN LATINUM CONVERTIT**

**IOHANNES (Jan-Piet) KNIJFF**

**MYTHI GRAECORUM**  
**A GUSTAVO SCHWAB NARRATI, A LEONE**  
**LATINO IN LATINUM CONVERSI**  
**THESEUS. De herois ortu atque iuventute**

Theseus, magnus heros atque rex Athenarum, fuit filius Aegei et Aethrae, filiae régis Pitthei Troizenis. Inter eius maiores paternos fuerunt rex Erechtheus et illi Athenienses, qui secundum mythum ex ipsâ humo erant exorti. In lineâ maternâ auctorem generis habuit Pelopem, regum Peloponnesi potentissimum. Aliquando Aegeus rex liberis carens, qui Athenis viginti ferê annis ante expeditionem Argonautarum regnavit, apud Pittheum, unum ex Pelopis filiis, conditorem oppidi Troizenis devertit, quia ille fuit hospes suus. Īdem Aegeus quattuor filiorum régis Pandionis maximus natu, magnâ aegritudine affectus est, quod coniugium suum erat sterile. Nam valdê timebat quinquaginta filios Palladis fratris sui, qui animo erant hostili in se liberis orbum. Itaque Aegeus animum induxit, ut clam et uxore insciâ iterum mulierem in matrimonium duceret sperans sibi partum iri filium, qui foret columen senectutis atque regni sui. Aegeus autem Pittheo hospite confisus est et feliciter successit, ut Pittheus modo acciperet mirum oraculum, quo sibi annuntiatum est filiam suam inituram quidem esse foedus coniugale haud laudabile, sed parituram esse filium illustrem. His auditis rex Troizenus paratus erat illi viro, qui iam domi habebat uxorem, Aethram filiam suam clam in matrimonium dare. Hôc facto Aegeus per paucos tantum dies Troezene remansit; deinde rediit Athenas. In litore maris mulieri modo in matrimonium ducto valedicens gladio calceisque lapidi suppositis: »Si Dei« inquit, »foederi nostro, quod non temere iunxi, sed ut domui terraeque meae columen darem, nobis faventes filium donaverint, fac eundem cures clam educandum, et noli ulli homini dicere, quis eius pater sit. Si tantopere adoleverit, ut valeat hunc lapidem devolvere, eum duc ad hunc locum et iube gladium calceosque eximere et mitte Athenas ad me.«

Reverâ Aethra peperit filium, quem appellavit Theseum et studuit, ut is Pittheo avo curante adolesceret; iussu mariti non prodidit, quis esset filii pater verus, et avus famam divulgavit, quâ ille esset filius Neptuni. Hunc enim deum Troezenii honore afficiebant extraordinario tutorem oppidi sui, primitias ei sacrificabant, necnon huius dei fuscina insigne erat Troizenis oppidi. Itaque nullum Troezenium offendebat, quod deus honoratissimus filiam rēgis dignatus erat peperisse eius filium.



Cum iuvenis adolescens non solum mirabiliter corroboratus esset, sed etiam audaciâ et prudentiâ et firmitate animi praecelleret, Aethra mater eum ad illum lapidem ductum certiores fecit, a quo pater reverâ genitus esset et iussit signa Aegēi patris sui eximere et Athenas

navigare. Theseus corpus suum lapidi innixus eundem leviter removit; soleas pedibus, gladium lateri alligavit. Iuvenis autem recusavit, ne trans mare navigaret, quamvis ab avo et matre imploraretur, ut iter faceret maritimum. Nam iter terrestre Athenas faciendum illo tempore valdê periculosum erat, quia ubique migratoribus insidiabantur praedones et furciferi. Nam illâ aetate homines exorti sunt, qui et robore et pugnacitate se praestabant inexcuperabiles, sed hac praestantiâ non adhiberent ad opera humana facienda, immo lasciviâ atque violentiâ gaudentes quibuscumque hominibus, in quos inciderant, malefaciebant aut interitum parabant. Nonnulli istorum occisi erant ab Hercule migrante. At is illo tempore serviebat Omphalae reginae Lydiae illamque terram purgabat, sed in Graeciâ denuo fiebant facinora violenta, quia a nemine cohibebantur. Itaque iter terrestre, quod fiebat ex Peloponneso Athenas, erat periculosissimum, et avus Theseo adulescenti accuratê descripsit omnem praedonem atque homicidam necnon verbis extulit, isti scelera quam atrocia in peregrinos committere solerent. At Theseus iam pridem exemplum sibi petiverat ab Hercule. Īdem enim heros septem annos natus Pittheum avum cum visitaret, Theseo parvulo unâ cum aliis pueris Troezeniis licuit consobrinum aspectare cum rēge ad mensam epulantem. Hercules antequam cenavit pellem leoninam exuerat. Pelle aspectâ ceteri pueri fugâ salutem petiverunt. At Theseus sine ullo timore exiit, alicui famulo asciam e manu eripuit, invectus est in pellem, quam verum leonem esse putavit. Inde ex illâ visitatione Herculis Theseus admiratione imbutus noctu somniabat de illius facinoribus, interdiu autem nihil cogitavit nisi, quonam modo ipse aliquando similia facinora esset commissurus. Ceterum Theseus et Hercules erant unus alterius consanguineus, nam eorum matres filiae erant sororum. Nunc autem Theseus sedecim annos natus non passus est, cum consobrinus ubique homines nefarios peteret et ab istis terram et mare purgaret, se ipsum a patre iuberi pugnas imminentes fugere. Itaque indignatus: »Quidnam diceret« inquit, »is deus, qui appellatur pater meus, de isto itinere ignavo per maria sua faciendo cogitaret, quidnam pater meus verus diceret, si signa sibi afferrem calceos pulveris, gladium sanguinis expertes?« Haec autem verba placuerunt avo adulescentis, qui ipse fuerat heros fortis. Postquam mater ei benedixit, Theseus profectus est.



**MYTHOS GRAECORUM**  
**ENARRAVIT**  
**GUSTAVUS SCHWAB**  
**IN LATINUM CONVERTIT**  
**LEO LATINUS**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIS AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS-LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibiles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50


14	01104	978-3-938905-10-4	<b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	<b>FABELLAE GRIMMIANAE 1</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	<b>ROMULUS MAGNUS</b>	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	<b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	<b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	<b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	<b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM</b>	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM OCTAVAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Dominicâ, 19. m.Ian. a.2020**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

